

## §. IX.

Ad *Scientiam Medicam* s. earum rerum quibus hominum vita quam fieri potest, diutissime & integerrime conservatur, ægrotudines vero tollantur; præter linguas, studia humaniora, philosophica & elegantiora cum Excell. D. GERIRE, Prof. Helmstadiens. celeberr. Præceptore, Fautore atque Patrono semper maxime colendo, (f) requiro porro (2) *Mathesin & Physicam* s. historiam naturalem. (3) *Botanicam*, cum sic dictæ e mineralibus, vegetabilibus ac animalibus desumpta *Materia Medica*, tam ad veram C. H. naturam, ejusque functiones eo melius explicandas, quam ad plantarum notitiam, & vires ex his provenientium medicamentorum rite addiscendas, cauteque adhibendas. (4) *Anatomiam* s. disciplinam artificiosa corporum dissectione, partium C. H. constitutarum structuram, figuram, situm & connexionem docentem. (5) *Physiologiam*, quæ partium tam solidarum quam fluidarum dispositionem, omnesque functiones ad sanitatem, vitamque corporis conservandam pertinentes explicat, Medicoque hinc præ omnibus reliquis fere summe necessariam. (6) *Pathologiam*, morborum multifariam dispositionem tam quoad generales, quam speciales circumstantias, signa, causas proximas æque ac remotas, tradentem, & ad veram morborum historiam addiscendam omnino necessariam. (7) *Semioticam* s. doctrinam signorum distinctiorum æque ac eventum morborum bonum vel malum indicantium exhibentem (7) *Therapiam* s. morborum convenientem & necessariam per remedia tam pharmaceutica quam chirurgica & dietetica s. adæquatam vitæ regimen, curationem tradentem. (9) *Chirurgiam cum Arte Obstetricia, Embryulicâ* ejusque partibus, nimirum *Embryotomia & Hysterotomia*. Prior, nem-

B 2

pe

(f) Oratione de optima Medicinam docendi discendique ratione.  
Francois Reflexions sur la Medicaine.